

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Matthaeus Voland

Disputatio Philosophica De Intelligentiis

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729611191>

Druck Freier  Zugang



R u phil 1645
Matthaeus Voland
Johannes Grembs



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729611191/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729611191/phys_0002)

DFG

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

824
170.

INTELLIGENTIIS,

Quam

DEO Ter. Opt. Max. Adjuvante

Amplissimâ Facultate Philo-
sophicâ consentiente

SUB PRÆSIDIO

M. MATTHÆI VOLANDI,

Mœno-Francofurtani SS. Theol.

Studioſi.

Publicè defendere conabitur

JOHANNES GRAMBUS/

Mœno.Francofurtanus.

A. & R.

*In Auditorio Majori. Horis à septimâ
matutinis ad diem 6. Maij.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLIII.

THEATRUM MUNDANUM

DEO ELEO M. A. ANTONIO
AUGUSTINIANI HERALDICO PILLIO

ROMA AVGVSTANA

1611

LIBRARIUS

1611

LIBRARIUS

1611

LIBRARIUS

1611

LIBRARIUS

1611

LIBRARIUS

1611

LIBRARIUS

1611



PRÆFATIO.

Philosophia moralis, solertissimus indagator
Piccol. verè nostram scientiam formolosam
quandam opinatiōne in proœm lib. 2. de plac.
Philosoph. dicit; Verissimè inquam; cum ad
rerum intellectiōne mentis nostræ acies tam
imbecilla sit, quām nycticoracis oculus ad so-
lem intuendum, ut habet Philosophus lib. 2. Metaphys cap.
I. & scal. Exerc. I. s. 1. Et in magno periculo versemur, ne
nostra scientia humi repat circa sola accidentia, ut iterū
dicit scal. Exerc. 101. s. 14. dum nulla nobis forma planè &
plenè nota & quodammodo non nisi per cœsio[n]es nota simo.
Hic si quis mirio! nominet ullam formam, nomina tu lapidis
formam: & phyllida solus habeto Idem Exerc. 307. s. 12. Nu-
gas dixerit; hac querimonia cum de formarum rerū mate-
rialium nostrū quoctidie oculis obversantiu[m] confusa cogni-
tione vera sit, quantus, quantus de essentiārū spirituālium
que à materia vinculo liber[us], sunt sensib[us] hand exposita sci-
entia, erit plangor & angor! Non possum quin exclamem!
O miseram ingenii humani aciem! O scientiam inscitiae ru-
bigine misere obfuscaram. Harum autem cum sint tria gene-
ra circa unum Δ gōnē ψ ḡc̄ hec bodierna repat. Non circa sum-
mum illum Deum quippe qui propter immensitatem, luce suā
obruit aciem humani intellectus ut loquitur subtilitatum.
Doctor Scal. Exerc. 359. s. 12. qai Spiritus ineffabilis per o-
mnia, præter omnia, super omnia in omnibus, ante omnia,
post omnia idem Exerc. ult. s. 2 neg. circa animas morta-
tum immortales, sed circa medios illos Spiritus (intelligen-
tias)

tias) intelligendas intellectus noster erit occupatus, horum naturam ruminando. Dēm aliquot quæstiones rimando. Sed quid iphac caligine quā nostra mentis acies obnubilata, cœlestium horum Spirituum recessus ingredi & aggredi poterimus? super nā lucis lucem, obscuratam nostram intelligentiam lumine suo cœlesti illustrantem de- votè exspectaturi, Intelligentiarum naturam inquirere alacriter incipiemus.

DE NATURA INTELLIGEN- TIARUM. CAP. I.

Articulus primus.

§. 1. Intelligentia vox quæ origine latina est, uti omnibus constat, à nobis hoc loco non accipitur i. pro potentia intelligendi, vel intellectu, vel pro habitu principiorum quæ ita manifesta sunt, ut eorum veritatem intellectus noster facile apprehendat nullamq; probationem petat, sed nobis est spiritus creatus, compleatus, qui nunquam sit alterius pars essentialis. Dicitur etiam mens græcè ρῆσι qui actus quidam est inselligens seu geniū qui juxta receptam gentium sententiam infantes modò genitos suscipiat & tueatur. Vocatur etiam Dæmon unde inspecie quædam intelligentiarum ἐνδαιμονες, alii καρκοδαιμονες dicuntur.

§. 2. Dari autem ejusmodi Intelligentias facile contra Saduceos, qui eorum existentiam negant probare posset, ex sacris literis, quia verò hoc non ad scopum nostrum, videbimus rationes, quæ ex ratione deducuntur. Primum argumentum desumunt à possibiliitate, quia nulla adest repugnacia neq; ex parte DEI cui omnia (non contradictionem involventia) sunt possibilia, neq; ex parte Rei, quia omnia fermè quæ sunt in animâ rationali in Intelligentiis inveniuntur. Hinc concludunt dari Intelligentias. 2. arg. desumunt à credibili, quia enim DEUS inquietunt res corporales & alias adhuc viliores condidit, non credibile est ipsum non addidisse Intelligentias, tanquā nobilissimum sui speculum, in quo se totæ divinæ perfectiones patefaciant. 3. arg. Deducunt à rotâ hujus

hujus mundi universi perfectione, ad quam requiri videtur, ut omnes species possibles & maximè ut in eo immaterialium gradus reperiantur, alii alias rationes adducunt, quas huc transcribere operæ pretium non putamus. Omnia verò rationum firmissima mihi videtur illa, quæ desumitur ab hominibus abreptis & oblessis, qui sàpè variis & ante ipsis incognitis linguis de rebus incognitis loquuntur & mirabili robore prædicti sunt. Hæc enim & similia opera non possunt provenire. 1. à re aliqua inanimata cum in illam operationes intellectuales non cadant. 2. Non sunt in propria obfessorum & abreptorum forma, quia primò ut supra diximus sàpè variis linguis loquuntur ipsis antea ignotis de rebus occultissimis & abstrusissimis. 2. Robur illarum omnes vires humanas superat. Neq; 3. Provenit à DEO, quia sàpius DEUM Ter. O. M. calumniis afficiunt. Neq; deniq; ab animâ aliquâ hominis separata, quia & illud esse nequit, rationes dabimus in ipso discursu. Jam concludimus E. venit à Spiritu alio quodam, hoc concessio, thesis nostra firmo tali & immobili stat.

Articulus secundus.

EXHIBENS QUÆSTIONES.

QUÆSTIO I

Qualis detur notitia Intelligentiarum rationalis? Resp.

Non tantùm quod sint, sed & aliquo modo quid & quales sint, ut ex dicendis constabit. 2. Non quidditativa vel comprehensiva sed aliqualis & apprehensiva. 3. Non agnoscimus Intelligentias per species, à natura nobis ingenitas, neq; possumus illas ex sensibilibus recipere, quia in horum genere non continentur, sed per discursum.

QUÆST. II.

An Intelligentia sint substantia & non accidentia?

Resp. Affirmando prius, Intelligentias substantias & non accidentia esse patet à priori, quia se: nulli inhærent sed per se substantia, quod certè substantiarum non accidentium est.

A 3

QUEST.

QUÆSTIO III.
*Ad quam substantia speciem pertineant
Intelligentiae?*

Resp. Non continentur sub serie corporum quod est contra-
Vorstium, Cælum Rhodigin. Zanchium & alios qui finxerunt,
Intelligentias subtilissima habere corpora, sed continentur &
comprehenduntur sub serie spirituum i. e. substantiarum immate-
rialium. Adversiorum argumenta hic proponere & diluere o-
peræ pretium non censemus sed reservabimus discursui.

QUÆSTIO IV.

*Si Intelligentiae essentialiter non sunt Corpora ul-
terius quaritur, Annon habeant Corpora
sibi naturaliter unita, ad modum Animæ
rationalis?*

Resp. Negando hisce duabus rationibus moti. 1. Quia sunt
substantiae completem spirituales. 2 Quia plures possunt esse in uno
eodemq; loco, ut infra videbimus. Argumenta contraria qui desi-
derat adeat Thom. p. 1. quæst. 51. art. 1. Et hæc denaturam Intelligentiarum, sequuntur earundem Affectiones.

CAP. II.

Articulus primus.

De Intelligentiarum Affectionibus.

§. 1. Primariæ Intelligent. Affectiones communiter à Docto-
ribus numerantur novem. 1. Intellectus. 2. Voluntas & arbitrii
Libertas. 3. Simplicitas, & aliqualis Compositio. 4. Incorrupti-
bilitas & immortalitas. 5. Potentia. 6. Esse alicubi. 7. Ævi-
ternitas. 6. Multitudo. 9. Diversitas. Quas breviter percur-
remus & considerabimus.

DE INTELLECTU.

§. 2. Intelligentiis Intellectum convenire probare possum se-
quentibus rationibus, Quia 1. sèpius inventæ fuerunt Intelligentiae
non solùm tentantes sed & variarum rerum peritia & multiplici
eruditione instructæ, quod sane abq; intellectu fieri nequit. 2. Sunt
sub-

Substantia spirituales. 3. Homines intelligunt quidni Intelligentia? Cum intellectio sit perfectio simpliciter & intelligentiae DEO proximae sint Deniq; 4. ut alias rationes siccō pede prætereamus, ipsa vox Intelligentia innuit. Notandum vero est quando dicitur Intelligentias intelligere quod intellectus, Intelligentia non sit ipsa essentia Intelligentiae, sed vis & facultas accidentalis essentiæ Intelligentiarum à DEO superaddita quæ res intelligibiles apprehendit.

Articulus secundus.

De Voluntate ac Libertate.

§. 3. Intelligentiis Voluntatem & Libertatem arbitrii convenire patet exinde quia 1. ipsis convenient intellectus quod jam eviciimus, qui non datur sine voluntate & arbitrii libertate, cum impossibile sit, bonum cognitum non appeti. 2. Sunt spiritus. 3. Voluntas est perfectio simpliciter & animabus rationalibus convenienter multo magis ergo Intelligentiis, quæ DEO proximæ sunt.

Articulus tertius.

De simplicitate.

§. 4. Simplices Intelligentias vocamus, non removendo omnem compositionis speciem, sed illam compositionem quæ esse suum ducit a materiâ & formâ propriè ita dictis. Nam hoc si concederem, Intelligentias non spiritus sed corpora affirmarem, quod supra negatum. 2. Illam compositionem, quæ ex partibus quantitatibus constat; Quantitas enim ex materia tanquam causâ primâ oritur. Cum vero hæc Intelligentiis non convenient in propatulo est, nec iisdem compositionem ex partibus quantitatibus competere. Quod autem Intelligentia non purissimè & absolutè simplices sint probo. 1. Quia sunt compositæ ex esse & essentiâ, sunt enim jam actu, aliquando à DEO creatæ, & olim possibles fuere, & in suâ causâ latuerunt. 2. Sunt compositæ ex naturâ & supposito, hæc enim compositio in homine locum habet, cum vero compositio hæc homini convenient, nulla ratio potest dari firma, Intelligentiae illam non competere. 3. Sunt compositæ ex genere & differentiâ. Deniq; 4. Ipsiæ potentiae naturales per quas suas operationes exercent, convenient, quia nulla exacta ratio dari potest, cur hæc potentiae in Intelligentiis sint ipsa essentia, cum in animâ

genua

reverâ qualitates & accidentia sint & tritum philosophis axioma sit, quod nulla creatura, per se metipsam sed per sua accidentia & facultates superadditas agat.

Articulus quartus.

De Incorruptibilitate & Immortalitate.

§. 5. Intelligentias corruptibiles quidam è Veteribus statuerunt, sed minus bene. Quod enim non corruptibiles sint fluit exinde, quia spiritus sunt, qui in se non continent principia interitum minitantia, quāvis ab extra à DEO ter Opt. Max etiam possint corrupti, quod tamen nunquam futurum est. Patet ergo quod sint incorruptibiles, sed quomodo incorruptibiles sint dubium oritur, quia Scholastici diversimodè loquuntur hæc de re. Quidam docent, Intelligentias non esse mortales naturâ. Contra verò Suarezius & alii disputant, Intelligentias per naturam corruptibiles esse, sed hæc controversia oritur ex ambiguitate terminorum, cuius explicatione tolli potest.

§. 6. Aliquando per naturam in corruptibile dicitur illud, quod semper absolutè & ex se non est corruptibile, quo sensu soli DEO competit. Aliquando verò per naturam incorruptibile dicitur, quod non in se habet principia interitum minitantia, etiamsi à DEO dependeat. Contrà verò per gratiam h. m. I. quendi dicetur, quod cum naturaliter corrupti posset, speciali tamen DEI gratiâ à corruptione defendetur. Quando ergo in hæc posteriori acceptance accipitur, rectè dici potest, quod Angeli non per gratiam, sed per naturam sint immortales.

Articulus quintus.

DE POTENTIA.

§. 7. Potentiam Intelligentiis ascribimus, per quam plurima DEI permissione producere possunt, talia, ut intellectus humanus in consideratione eorū planè obstupescat, ut infra latius dieetur.

Articulus sextus.

DE UBI.

§. 8. Intelligentias in aliquo $\pi\tau$ nec ubiq; esse patebit duabus hisce rationibus. 1. Quia mutabiles & acquirere possunt alia spacia.

cia. 2. Quia omne finitum est in aliquo spacio & ubi certo, cui
præsens sit, cur E. non Intelligentia. Patet E. ex hisce Intelligentia
esse in aliquo ubi, sed quomodo Intelligentia in suo πᾶς sint.
diversæ sunt apud diversos sententia, quas hic recensere nimis pro-
lixum foret. Qui verò has sententias legere vult audeat lib. 2. Metaph.
Scheibl. cap. 4 tit. 8 art. 1. & seqq. Nos verò cum Thoma & aliis sta-
tuimus Intelligentias esse in aliquo πᾶς definitivè, sc. in eo quod
sibi definit, ita ut tota sit in toto spacio, & rotunda in quāvis, ut ita lo-
quar, parte spaci, cum spiritualis essentia partium divisionem non
admittat.

§. 9. Sed cum hæc tracto, mihi occurrit illa controversia, An
plures Intelligentia possint esse in eodem loco, an verò una alias
excludat? Mihi prior sententia probatur, rationes etiam proban-
tes in aprico haberem, sed reservo discursui.

Articulus Septimus.

DE DURATIONE.

§. 10. Durationem Intelligentiis competere constat, sed illa
duratio non est infinita, quæ alio vocabulo dicitur æternitas, sed fi-
nita, quod contra Aristotelem notandum est, cui non libenter con-
trà sentimus, sed amicus Plato, amicus Socrates, amicus Aristote-
les, omnium verò amicissima Veritas, ut enim ipse motum orbium
coelestium æternum facit, ita & intelligentias, quas orbes coelestes
movere dicit, æternas facit cap. 10. Metaph. & alibi. Duratio E.
Intelligentiarum non est æternitas, sed ævum, quod probo hoc syl-
logismo, Quicquid ex se habet initium durationis, nec tamen ex se
habet finem, illud durat ævo, Atqui Intelligentia hoc habet E. du-
rat ævo. Minor probatur quia Intelligentia natura sua sunt im-
mortales (ut supra dictum) & incorruptibles i. e. intra suam natu-
ram nihil continet corruptivum neq; per causas secundas desinere
possunt, sed sola negatione concursus divini conservativi.

Articulus Octayus.

DE NUMERO.

§. 11. De numero Intelligentiarum lumine naturæ nil certum,
quam cum infinitum non esse, quia tale infinitum actu repugnat,

B

non

non enim licet invenire numerum quo non possit dari major per Aristotelem 3. Phys. cap. 6. text. 58 & seqq. misso E. numero intelligentiarum distinctioni illarum nos accingimus.

Articulus Nonus.

DE DISTINCTIONIBVS.

§. 12. Intelligentias numero esse distinctas, manifestum est exinde, quia plura eorum individua dantur, quod ex dictis patuit. 2. Distinguuntur ratione accidentium in bonas scilicet, & malas, quod quem Theologiz notius sit quam Philosophiae, mittimus.

§. 13. Apud Philosophos vero controvertitur & varie apud Scholasticos disputatur, an Intelligentiae specie sint distinctae? Quidam ut Thomas & alii negant, Intelligentias esse ejusdem speciei, sed dicunt omnes esse diversae speciei. Contra alii statuunt ut Alstedius part. 3. Pneum. c. 1. & alii qui asserunt omnes Intelligentias esse posse ejusdem speciei, cum Deus sit liberum agens, qui omnia consilio voluntatis suae produxit. 2. Dicimus non esse repugniam sed posse esse Intelligentias diversae speciei. Cum enim Intelligentiae convenient in natura intellectuali & vere nulla sit contradictione eam naturam esse communem pluribus juxta varios modos essentiales, nulla etiam repugnativa erit, dari Intelligentias specie distinctas. Et haec sunt quae de Affectionibus Intelligentiarum erant dicenda, sequitur nunc

CAP. III.

De Actionibus Intelligentiarum.

§. 1. Actus i.e. operationes intelligentiis convenire certum est per experientiam, & rectam rationem cum de facto plurima praestent & ipsis potentiae convenient.

§. 2. Sunt vero earum operationes vel internae & immanentes, vel externae & transeuntes. Illas vocamus quae intra naturam Intelligentiarum manent, inquit eam tanquam in subjecto recipiuntur, ut sunt, Intellectio, Volitio, Variatio. Ubi, has dicimus quae non accipiuntur in natura Intelligentiarum, sed ad extra quae transeunt, de illis hoc capite agemus.

Articu-

Articulus primus.

§. 1. Intellectionem Intelligentiarum non esse ipsam Intelligentiarum essentiam constat, quia id 1. non nisi soli DEO convenit, 2. Intelligentiarum Intelligentia mutabilis est. 3. Augmentationem & diminutionem recipit, sed intellectio est actio interna mediante intellectu Intelligentiarum elicita, quā intelligentiā res intelligibiles cognoscit.

§. 2. Principium ejus radicale non est anima ut in homine, quia Intelligentia aliās haberet corpus, cum anima tanquam forma exigat aliam partem scilicet materialē, sed est ipsa Intelligentiae essentia.

§. 3. Proxima vel Instrumentalia principia (ut ita loquar) Intellectionis Intelligentiae sunt 1. facultas intelligendi de qua supradictum est. 2. Species intelligibiles quae nihil aliud sunt quam rerum quasi imagines, quae intellectui Intelligentiarum res ipsas representant, prout in se sunt extra intellectum. Sed hoc de Principiis nunc aliquid de rebus quas Intelligentia intelligit dicendum est. Notandum verò est, Intelligentias cognoscere seu intelligere 1. DEUM, quia homines eundem cognoscunt. 2. Effecta DEI i. e. se ipsas & alias creaturas. Cognoscunt seipsum, ratio, quia & anima rationalis seipsum reflexè, ut homo seipsum intelligit vel cognoscit. Quidni E. Intelligentiae? Quippe quae vel perfectioris naturae quam vel homo vel anima rationalis sunt. 3. Cognoscunt alias Intelligentias quia 1. Cives sunt ejusdem Reip. utiq; ergo seipsum cognoscunt, cum unio ac communio eas ad officia communia conjungat. 2. Homines se invicem cognoscunt cur non Intelligentiae. 4. Cognoscunt animas separatas. 5. Res naturales cum singularibus tum in cōmuni bus attributis, nā missam ut faciamus rationem, quā ex mente Aristotelis orbes cœlestes moveant, efficax probatio inde deduci potest, quia & homo res naturales cognoscit & nulla ratio firma dari potest, quod non Intelligentiae cognoscant. 6. Futura quae habent causas necessarias, ut sunt Ecclipses & similes effectus, cum n. ejusmodi futura subscientiam humanam cadant, multo minus intelligentiarum notitiam fugiunt. 7. Ea quae revera actu sunt, adeoq; tantum occulta & respectu nostri futura.

§. 4. Quanquam verò hæc & plura alia Intelligentiae cognoscant Omniscentia tamen illis non convenit, nam 1. hæc solius

DEI est, 2. Intelligentiae non cognoscunt 1. Contingentia futura, nisi conjecturaliter & in quantum ex certis quibusdam signis & causis aliquid colligunt. Hinc Historiae tradunt futura praedicturos Dæmones aut aliquid ex naturalibus tignis collegisse ut videre est ap. Philipp. Camer. in hor. suis success. Cent. 1.c. 57. p. m. 254. & Cent. 2. c. 2. p. m. 6. aut ambiguitatibus usos fuisse quo pertinent sequentia oraculorum Diabolicorum responsa.

1. Ajo te Ejacida Romanos vincere posse.
2. Croesus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.
3. Domine(domi-ne) sis securus, hostes enim terram tuam ingredientur suaviter & subjicientur(subjicientur), i.e. ignem domuituæ.

Deinde etiam non cognoscunt 1. Intelligentiarum aliarum cogitationes, nisi se declarent per externos gestus vel alia signa & effecta, cum solus Deus sit cognitor omnis. Neq; 2. supernaturalia aut mysteria ipsa tamen intelligunt, quatenus talia sunt & quatenus à DEO sunt revelata.

§. 5. Modus Intelligendi est Intelligentias cognoscere, sed non 1. immediatè & per essentiam, quia hoc solius Deus est, sed mediatis facultatibus intelligendi, speciebus intelligibilibus & habitibus superadditis. 2. Non intelligunt omnia simul, sed ita ut modo actu sint res intelligentes modo tantum in potentia ad intelligendum. 3. Ita ut multa jam cognoscant quæ ante non cognoverunt, cum non tantum plurima à DEO ipsis revelentur, sed & cogitationes & effectus hominum ex certis quibusdam signis colligant. 4. Non intelligunt notitiam infinitam, sed cum ratione modi, cum ratione objectorum finitam & limitatam. 5. Non intelligunt sentiendum organis ad sentiendum necessariis destruantur, sed intelligunt per nutrum intellectum. 6. Non intelligunt omnia infallibiliter sed quædam fallibiliter & conjecturaliter, ut supra dictum. 7. Non omnia simpliciter intuitivè, sed quædam per discursum & experientiam, quæ ex inductione signorum & effectuum colligunt.

§. 6. Restat nunc ut divisiones scientiae Intelligentiarum propo- nantur, ubi dicimus scientiam intelligentiarum esse vel naturalem vel insitam, & concretam; vel acquisitam, & quasi experimentalem, vel revelatam, & supernaturalem. Dividunt in intuitivam & discursivam. Et hæc de Inceptione, jam de Volitione,

Actio

Articulus secundus.
DE VOLITIONE.

§. 1. Hæc quæ de Volitione dicenda sunt facile intelligi possunt, servata proportione ex iis quæ de Intellectione jam diximus, nam neq; volitio eadem est ac essentia, nec potentia volendi est accidentis realiter idem cum Essentiâ Intelligentiarum. Volitio E. est actus ab essentia diversus, & à voluntate elicitus quo cognitum sub ratione boni appetit, & monstratum sub rationemali fugit.

§. 2. Principium ejus radicale est ipsa essentia Intelligentiarum, instrumentale verò est ipsa voluntas, cui adjuncta scilicet libertas & abi- trii & habitus Voluntatis. E.g. Spes, Charitas, misericordia.

§. 3. Objectum ejus sunt omnia bona ab Intellectu cognita, quæ sub ratione convenientiæ apprehendunt & mala sub ratione inconvenientiæ fugiant.

Articulus tertius.

De motu Intelligentiarum.

§. 1. Motum Intelligentiis convenire, quia ex libro cùm scriptarum, tūm naturæ pateat, neminem sanæ mentis capacem negare puto. Ideo que in probatione ejus non admodum labore, sed in hoc eno occu- patus, ut dicam, quid sit motus Intelligentiarum.

§. 2. Motus Intelligentiarum non est physicus, qui est affectio dis- juncta Corporis naturalis, quæ illud aliud atq; alium acquirit locum, patet E. Motus physicum esse mutationem loci, locus verò Intelligentiis cum non competit, multominus motus localis ipsis competit, sed motus illenihil aliud est, quam mutatio ubi, nam illa non est in multis locis, neq; ubiq; sed hic, & non ibi, vel ibi & non hic. Quæ enim Intelligentia nunc est Rostochii, non potest esse hoc eodem tempore Fran- cofurti ad Mœnum, Francoturcum verò ut veniat, moveatur neces- se est.

§. 3. Modum quod attinet, notandum est, quod Intelligentiæ mo- veantur 1. Non per extrinsecam denominationem ad motum alterius, ut quibusdam placuit, sed reverè ut ipsæ sint proprium subjectum mo- tus. 2. Non physicè quemadmodum corpus de loco in locum, cum lo- cus illis non competit. 3. Sine ulla corporum resistentiâ, adeoq; per conseqüens sive ullo labore & molestiâ. 4. Sive illius Corporis expul- sione

fione, quod tamen de motu illarum ut tali Intelligentium est, nam se-
cū se res habet in assumptis corporibus. §. Non tardē sed celerius, mo-
tu ejusmodi, qui, si terminus non ita procul distans sit, fermē instanta-
neus videatur. Dico verò si terminus non ita procul distans sit. Nam
quando inter terminum à quo & ad quem quamplurima spacia inter-
media, quam maximè extensa dantur, aliquantulum temporis requiri
omnino videtur. Et hæc de actibus Intelligentiarum internis suffici-
ant, jam de actibus externis seu transeuntibus agemus.

CAP. IV.

De Actibus Intelligentiarum Externis seu Transeuntibus.

§. i. Actus Intelligentiarum externos seu transentes communiter statuunt quinq; de quibus singulis ordine hoc capite agere o-
peræ pretium censemus. & erit

Articulus primus.

DE LOCUTIONE.

§. 1. Intelligentias loqui manifestum est i. ex locutionis descriptio-
ne, quæ in se ac per se secund. Scholasticor. & Philosophor. definitio-
nem nihil aliud est, quā manifestare alteri suum internum mentis
conceptum. 2. Quia locutio est perfectio simpliciter & Deo conve-
niens, cum verò hæc perfectio hominibus conveniat Intelligentismi-
nimè neganda est.

§. 2. Est itaq; Locutio Intelligentiarum actio externa, quā aliis sin-
gulari quodam modo suos actus internos manifestant.

§. 3. Dico verò i. Quod sit actio externa, non enim terminatur in
ipsis intelligentiis loquentibus, sed fit à loquentibus, & terminatur vel
ad Deum, vel ad alias Intelligentias, vel ad homines, vel deniq; ad ani-
mas separatas.

§. 4. Dixi secundò quod hæc actio singulari quodam modo fiat,
nam de hoc nobis certò nec ex libro Scripturæ, nec ex libro naturæ cō-
stat. Hinc etiam oritur diversitas sententiarum apud Dd.

§. 5. Principium locutionis Intelligentiarum quod attinet, est idem
quod in hominibus voluntas sc. & intellectus.

§. 6. Deniq; quomodo Intelligentiarum & hominum locutiones
à se inicere discernantur, videri potest ap. Dn. Scharf, in Pneum. p. 171.

Articu-

Articulus secundus.

De Variarum rerum productione.

§. 1. Multa & varia quæ possunt h̄c dñi de iis, quænam Intelligentiæ efficere possunt, reservabims, donec pervenerimus ad quæstiones.

Articulus tertius.

DE MOTIONE CORPORA.

§. 1. Intelligentias Corpora mouere posse facile posset probari ex sacrâ Scripturâ, sed cum hoc ad propositum nostrum non pertineat, videbimus rationes, i. Intelligentiæ se ipsas movent, quidni Corpora, cum motus, quo se Intelligentiæ movent sit nobilissimus, si autem id inest, quod majus est, etiam aderit quod minus est.

§. 2. Principium autem hujus motus principale est ipsa essentia Intelligentiarum, instrumentum non est voluntas, ut quidam in eâ opinione fuerunt, sed facultas quædam ab intellectu & voluntate distincta.

§. 3. Movent vero Corpora, quibus adsunt, absq; impetu cum imperio requiratur ad explendum defectum presentiæ motoris, ut in projectu lapidis videri solet.

Articulus quartus.

DE ASSUMPTIONE CORPORA.

§. 1. Intelligentias Corpora aliquando assumpisse, gentiles ex apparitionibus sibi factis colegerunt, cuius ratio hæc est.

§. 2. Cum enim Intelligentiæ Corpora mouere possunt, cur non & eadem assumere, nam ad illam assumptionem iria requiruntur, i. ut Intelligentiæ substantialiter existant in corpore assumptioni, 2. ut existant in illo rati modo, ut motor immobili, nam Diabolus posset esse in homine, ita ut homo non sentiat, & si non ut motor est in mobili, 3. Ut iis utantur tanquam instrumentis ad se manifestandum.

Articulus quintus.

DE OBSESSIONE.

§. 1. Diabolos non nunquam homines obsidere, omnibus populis (proh dolor) per experientiâ constat, hoc est, ut probetur non opus est, sed

Sed quomodo obsideant de hoc agemus, ut verò homines obsideant, non opus est, ut ingrediantur vel per os, vel per alium meatum, cùm spiritus sint, quibus Corpora resistere nequeunt, sed Deo permittente quemcunq; aditum sibi parare possunt. Cur verò Deus talēm obfessiōnēm permittat & quo modo sint expellendi, de hoc Theologi latius disputant, sed nos manum de tabulā. Et hæc etiam de Actibus externis sufficiant, sequuntur quæstiones.

Q U E S T I O . I.

An Intelligentia aliquando aliquid creare & annihilare possint?

Resp. Ut causa principalis non possunt. Quia hoc solius DEI opus est, & infinitam Virtutem requirit.

Q U E S T . II.

An possint miracula facere?

Resp. Vera & propriè dicta miracula per se & propria Virtute facere non possunt, cum hæc sint supra omnem naturam & solius Jehovæ opera, possunt tamen 1. hujusmodi opera facere, quæ hominibus mira sunt & videntur. Cum enim rerum naturalium peritissimæ sint, plerarumq; rerum virtutem & materiæ dispositionem, astrorum influxu & aspectum scient, effectus inusitatōs producere possunt, qui hominibus miri videntur ob ignorantiam causarum, cum tamen miracula nonsint, quia effectus ex causis naturalibus dependent. 2. Falsa & ficticia miracula Dæmones producere possunt.

Q U E S T . III.

An Intelligentia generet Intelligentiam?

Resp. Affirmant hoc Judæi sed nos negamus hæc moti ratione, quia generatio fit, propter conservationem specierum, ne ipsæ cessantibus individuis pereant. At Intelligentiæ sua natura non sunt incorruptibles, unde speciei corruptio timenda non est.

Q U E S T . IV.

An Intelligentie ut sic possint generare Corpora?

Resp. Hujus quæstionis negativam arripimus ideo quia Intelligentia & organis & semine ad generationem Corporum naturalium necessariis destituitur.

Q U E S T .

Q U E S T. V.

An Intelligentia posset generare animam?

Resp. Negando, quia alias & compositum generare posset.

Q U E S T. VI.

Qualis sit unio inter intelligentiam & Corpus assumptum?

Resp. Non essentialis, qualis inter animam rationalem & corpus organicum in homine, Intelligentia enim non est pars alterius, sed substantia completa, sed accidentalis, qualis inter vestem & rem vestitam.

Q U E S T. VII.

Quales actus in assumpto Corpore exercere possint?

Resp. Possunt exercere omnes actus, quos vis locomotiva, qualis potest.

Q U E S T. VIII.

An Intelligentia in assumptis Corporibus exprimantur passiones?

Resp. Neg. Nam nec corpora illa vivunt, ut humana, nec Intelligentiae illis essentialiter sunt unitae, sicut anima rationalis corpori, sed tamen accidentaliter, unde nec fatigantur, nec sitim, famem, venerem aut aliud ejusmodi patiuntur. Jam satis

Δόξα τῷ Θεῷ.

C O R O L L A R I U M.

An D E V S aliquomodo ex lumine naturae sit cognoscibilis? Resp. Aff.

F I N I S.

C

Mate-



Materia expertes mentes tibi pagina sacra
ostendit, GRAMBSI, tu nec rectam rationem
has latuisse doces, age scrinia docta Sophorum
excute, thesauros produc, in luce reponie,
quæ super his docuit priscorum turba Sopho-
rum.

Johannes Quistorpius D. & Theol.
Facult. Senior.



An Dn. Respondentem

De

INTELLIGENTIIS
disputantem.

In castro sophia pugnat qui fortiter, iste,
Præside sub Claro, rem facit ingenuam!
Hoc faciens noster GRAMBSUS mox victor abibit
Præmia præmerita & fautor Apollo dabit.

Ita acclamabat

M. Lucas Bacmeisterus
S.S.Theol. Profess.

Ad

Ad Prastantissimum & Ornatum

Dn. Respondentem.

Sub disputationis actum cum vocas,
Dilecte GRAMSSI, Intelligentias; face
Ut nemo non, qui differentem audiverit,
Intelligat, quam tu ipse sis intelligens,
Intelligentiisq; quam faventibus,
Hoc arduum suscepereis negocium.

Intelligenter ergo dissere, si cupis
Intelligens intelligentibus viris,
Doctusq; doctis jure merito dicier,
Intelligentiisq; carus credier.


gratulante animo scribebam

*M. Jeremias Nigrinus Pom.
Schola Rost. oppidana Rector.*



Quod Gramsci ingenio pulchre conaris amice
Id meritor laudo, grator & ex animo
Pergito, ceu pergis, sic clarum nomen habebis
Sic studiis Patria, commoda multa feres.

Sic conterraneo, ac commensali suo per quam
charo & jucundo apposuit
Præses.



Naturam Angelicam scrutanti spiritus adsit
Angelicus Tibi, quod felicius omnia cedant.
Semper & in studiis Magnus Tibi Fœderis adsit
Ange-

Angelus, ut decus esse queas aliquando Parenti,
Et gratæ Patriæ; sed gloria magna Jehovæ.
Sic precor ex animo, nec fiant irrita vota.

Sie vorct & faret suo Conterraneo
perdilecto.

JOHAN HARPF/MF.

R Ecce Jane facis, nostri pars candida cordis.
Dulcia qui gaudes sophies per agrare vireta:
Disseris, attendis reliquis, legis ipse sophorum
Scripta, Medusas completa liquoribus, ullus
Nec rursum in dubiam pugna descendere arenam
Est timor, at dextram lubitum est conferre minacem.
Macte animo infracto sophiam constanter amando,
Sic eris & decus & patriæ exspectatio gentis!

MARTINUS Newenfelde/
Dantiscanus.

ΣΤῆς εἰδεῖς διδαχῆν σὸν εὖ καὶ τοσόφερον θυμῷ,
Φίλαπτε, ἵσθι σοφῶν χειρίματα' ἐλιτσόμεν^{Θ.}
Όσου καὶ σύνθετος ἐπὶ ταῦτ', εστε' ἄρμεναι πάντες·
νικήσεις τε σοφίας καὶ σοφὸς αὐτὸς ἔών.
Τὰς ἄρδες τοῦτον πολὺ ἀνήρ πολλῶν ἀντέξει^{Θ.} ἄλλων,
Τὰς ἄρα γηήσεις πατεῖσις ἄμ' ἡδὲ τοκεῖς.

JOHANNES Kieder/
Svinf. Francus.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn729611191/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729611191/phys_0023)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn729611191/phys_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729611191/phys_0024)

DFG

QUÆST. V.

An Intelligentia posse generare animam?
Resp. Negando, quia aliæ & compositum gene-

QUÆST. VI.

Qualis sit unio inter intelligentiam & Corporeum?
Resp. Non essentialis, qualis inter animam rationis & corporis, geniculum in homine. Intelligentia enim non est partita, sed accidentalis, qualis inter voluntatem & actionem.

QUÆST. VII.

Quales actus in assumpto Corpore possent?
Resp. Possunt exercere omnes actus, quos via corporis potest.

QUÆST. VIII.

An Intelligentia in assumptione Corporis riancatur passiones?


Resp. Neg. Nam nec corpora illa vivunt, ut habent intelligentiam. Illis essentialiter sunt unitæ, sicut anima rationalis & corporis. Tamen accidentaliter, unde nec fatigantur, nec sitiunt, aut aliud ejusmodi patiuntur. Jam satis.

Δόξα τῷ Θεῷ.

COROLLARIUM

An DĒVS aliquomodo ex lumine cognoscibilis? Resp. Aff.

F I N I S.



the scale towards document